









1787.

N<sup>o</sup>. 11.

Q. D. B. V. !  
 DISPUTATIO INAUGURALIS  
 DE  
**NOVI OPERIS**  
**NUNCIATIONE,** 1665, 6.

Von  
 Untersag eines Neuen Wercks/  
 oder Baues;  
 Quam  
 Permissu

25

Magnifici Juris Consultorum Ordinis in per antiqua  
 Vniuersitate EBERHARDINA,

PRÆSIDE  
**BURCKHARDO BARDILI,**  
 U. J. D. & Pand. Professore.

Pro  
**PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS**  
 in utroque Jure consequendis,  
 Ad diem Junij,  
 IN AULA NOVA,

Publico Eruditorum Examine  
 submittit

**JOHANNES FRIDERICUS ROMUL,**  
 Nördlingensis,

TUBINGÆ,

---

Literis Gregorij Kernerij, M. DC. LXV.









## CHRISTUS FUNDAMENTUM!

**I**mperator Alexander Severus à Christianis edoctus, quoties aliquem emendabat, per præconem dici iubebat, quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris: Utinam & nos, qui Christiani vocamur, & esse volumus, summam illam æquitatis regulam ab ipso Servatore nostro *Matth. 7. v. 12. & Luc. 6. v. 31.* inculcatam majore observantiâ animis nostris ingemineremus, juxtaque eam vitam, consilia, facta, omnesque operationes nostras institueremus! Minus profectò litium in Rep. Christianâ agitaretur. At proh dolor! cùm plurimi eam contemnant, actiones nostræ à prædictâ æterni Imperatoris voce aberrantes Justitiæ tramite corrigi merentur, quod etiam fieri necesse est, quando vicini ædificando vicinis injuriam faciunt, vel avaritiâ, vel errore, vel temeritate quâdam impulsî, cui malo Prætor occurrit edicto de novi operis nunciatione. De qua materiâ loco Disputationis, ut vocant, Inauguralis sequentes theses conscribere, & examini placido subjicere animo mecum constitui:

*Annie Tu cæptis, Christe benigne, meis!*

A 2

TH.I.



Definitio  
Nominis.

TH. I.

**N**untiari quamvis strictè & propriè id quod monere, seu significare exprimat. vid. Beccman. *de Orig. lat. ling. voc. nuncius*. Unde & apud **I**ctos nuntiatores criminum delatores appellantur *l. ab accusatione 6. §. nuntiatores. 3. ff. ad SC. Turpill.* Et fisco nuntiare est illi deferre. *l. 1. §. f. ff. de jur. fisc.* Unde tacitum fideicommissum, nuntiatum dixit idem Paulus *in l. Edicto 13. §. cum ante 7. d. t.* Hic tamen idem significat, quod prohibere, interdicere. Nuntiat enim novum opus, qui denuntiat vicino, ne ædificet. *l. 3. §. opus. 3. ff. de alien. jud. mut.* Novi autem operis Nuntiatio in jure variè accipitur. 1. Latè, ut contineat etiam protestationem, quæ tamen N. O. N. non est, sed eidem opponitur *in l. 5. §. 7. ff. h. t.* 2. Strictè & propriè, exclusâ protestatione *d. l. 5. §. 7.* ut tamen complectatur omnem nuntiandi formam. *tot. tit. ff. C. d. N. O. N.* 3. Strictius, exclusâ nuntiatione Prætorîâ, pro reliquis formis duabus *l. 1. §. 2. d. t.* 4. Strictissimè, pro nuntiatione verbali *d. l. 5. §. 10. l. 1. §. 6. h. t.* Secunda significatio hujus est loci. Sive autem dicamus novum opus nuntiare, sive denuntiare *l. 5. §. 5. h. t.* nihil interest. Hinc nuntiatio & novi operis denuntiatio dicitur *l. 5. §. 10. h. t.* Germ. ein Untersag / Vertündigung / Verbott eines Neuen Wercks / oder Baues. Gail. *1. observ. 16. num. 1.*

Definitio  
Rei,

Est itaq; Novi operis nuntiatio prohibitio, novum opus in alterius præjudicium paranti facta ad id, ne in eo pergat, donec de ejus jure constet. Generis loco dicitur prohibitio, quia, uti traditum, novum opus nuntiare nihil aliud est, quàm prohibere, sive interdicerere. Cùm verò constet, plures alias esse in jure prohibi-



5.  
hibitiones, quæ & publicâ, & privatâ authoritate multis in casibus fiunt. *vid. l. 2. l. 29. ff. de LL. l. 7. ff. de postuland. l. 12. ff. de judic.* ideoque posteriora verba loco differentia sunt addita, de quibus in seqq. dicendi dabitur occasio.

III.

Relictâ definitione, progredior ad divisionem. Dividitur  
in  
Possum verò vel publicâ authoritate prohibere novum opus parantem, ne in eo pergat, vel privatâ, ideoque ipsa nuntiatio quatenus prohibitionem significat, vel publica est, vel privata. Publica dicitur nuntiatio, quæ fit publicâ Publicam  
& autoritate à Prætore *l. 5. §. 10. ibi: per Prætorem. l. 16. h. t.*  
Hæc, quæ fit privatâ authoritate, ex Edicto tamen Prætoris, Privatam.  
& ad quam specialis autoritas Prætoriana necessaria non est.

IV.

Privata nuntiatio à modo nuntiandi iterum vel Hæc vel  
Verbalis verbalis est, vel realis. Verbalis dicitur, quæ fit verbis. *l. 20. §. 1. ff. quod vi, aut clam.* quæ etiam propriè sic dicta, & κατ' ἐξοχῆν vocatur nuntiatio, & illi, quæ fit Prætorem, vel per lapilli jactum opponitur. *d. l. 5. ff. 10. h. t.* non quòd reliquæ nuntiationes novi operis nuntiationes non sint, uti perperam nonnulli colligunt ex *d. l. 5. §. 10. vers. quam operis novi nuntiatione.* Contrarium enim evidenter evincunt textus in *l. 16. ff. h. t.* ubi nuntiatio, quæ fit à Prætore, dicitur disertis verbis nuntiatio. *l. 20. §. 1. ff. quod vi, aut clam. l. 6. §. 1. ff. si serv. vind.* Sed quòd nuntiatio, quæ fit verbis, nonnulla habeat singularia, & præter nuntiationem ipsam ei nihil accedat. *d. l. 5. §. 10. l. 1. §. 6. h. t.* Fit autem verbis, quando scil. quis accedit ad novum opus, & verbis prohibet, ne in illo procedatur. *l. 20. §. 1. ff. quod vi, aut clam.* fortè dicens: denuntio, prohibeo, ne in hoc opere procedatis, interdico, præmoneo, deprecor, ne quid novi operis faciatis, &c. *ich will darfür gebetter*



betten haben/ich bitte euch des Wercks zu enthalten / darvon  
abzustehen/ich will euch gewarnet / gewarscheuet haben. Fri-  
der. Mindan. *tract. de mandat. lib. 2. cap. 30. th. 9. & 11.* Hisce  
verbis, an verò æquipollentibus fiat nuntiatio, parùm inter-  
est. *arg. l. 59. ff. de re judicat. Mind. d. th. 11.* Quemadmo-  
dum nec illud refert, utrum fiat verbis ore nuncupatis, an  
verò in scriptis. *Molin. de Iust. & Iur. tr. 2. disp. 706. num. 15.*  
Illud tamen si fiat, ut plurimum solent adhiberi testes, vel  
Notarius, ne, si nuntiationem factam ædificans negare velit,  
idonea in contrarium desit probatio. Unde & instrumen-  
tum ejusmodi nuntiationis desuper conficitur, & Judici ex-  
hibetur. *vid. Mind. d. mandat. lib. 2. cap. 30. th. 11. num. 14.*  
*Gail. 1. observ. 16. num. 12.* cujus formam *vid. apud Schwan-*  
*mann. d. Process. Cameral. lib. 1. cap. 9. pag. 54.*

## V.

vel  
Realis  
per jactum  
lapilli.

Realis dicitur nuntiatio, quæ fit re & facto, manu sc. id  
est jactu lapilli *l. 20. §. 1. ff. quod vi a. clam. l. 5. §. 10. ff. de N. O. N.*  
*l. 6. §. 1. ff. si serv. vind.* Licet enim *Greg. Tholosan. lib. 4. c. 29.*  
*num. 3.* nuntiationem, quæ fit manu, diversam putet ab illâ,  
quæ fit per jactum lapilli, verius tamen est, per oppositionem  
manus, & lapilli jactum unum, eundemque nuntiationis mo-  
dum intelligi. *d. l. 5. §. 10. ibi: vel per manum, id est, lapilli ja-*  
*ctum. ff. de N. O. N.* Per nuntiationem verò, quæ manu fieri  
dicitur, non intelligimus destructionem propriâ auctori-  
te factam, per oppositionem manus, uti aliàs hæc phrasis in  
jure nostro usurpatur in *l. 50. ff. de A. R. D. l. 29. §. 1. inf. ff. ad*  
*L. Aquil.* Quamvis enim ibidem dicatur, posse quem de-  
struere propriâ autoritate, quòd alius ædificare velit, non  
tamen dicitur, quòd illa destructio sit nuntiatio, minus quòd  
illa fiat per jactum lapilli. Sed jactum lapilli in tesseram &  
symbolum prohibitionis requirimus.

## VI.

Utrum ex  
opere, an

Utrum verò lapilli jactus in opus, an verò ex opere fieri  
debeat, non consentiunt Juris Interpretes. Sunt, qui pu-  
tant,



tant, nuntiationem per jactum lapilli fieri, cum lapillus à pro-  
 hibente, & in vicini opus jactatur, quasi eo ipso projiciens  
 dicat, quod nuntiatum, uti non possit lapillum illum ponere,  
 ita nec ædificium in hoc solo, quòd non ipsius, sed nuntian-  
 tis sit proprium. Ita post Bartol. Alciat. in *l. r. h. r.* Duaren.  
 Donell. omnes Juris Hispani conditores censisse putat An-  
 ton. Pichard. *ad tit. de interd. cap. 3. n. 224. p. 415.* Ean-  
 demque amplectitur Molin. *de just. & jur. tr. 2. disput. 706.*  
*num. 15.* Sunt verò non pauciores numero & autoritate Juri-  
 sti, qui existimant, lapilli jactum fieri, cum ex eodem illo opere  
 & ædificio lapis dejicitur, quasi eo symbolo ædificium de-  
 struatur, sive, quòd in solo meo, ubi ædificatur, capiam, vel  
 capere faciam lapillum, hoc est, lapillos præparatos pro ædi-  
 ficando, & jactum dispergendo ac projiciendo extra signum  
 seu limites ac confines meæ possessionis. Ita post Hostiens.  
 Gotofred. Rævard. Raudens. Carpzov. *lib. 1. R. 6. num. 4.*  
 Græv. *concl. Pract. lib. 1. concl. 17. consid. 1.* Petr. Frider. Min-  
 dan. *d. mandat. lib. 2. cap. 30. th. 8.* Quanquam verò, utro  
 horum modo jactetur lapillus, non multum intersit, sive  
 enim priori, sive posteriori modo jactum lapillum dicamus,  
 ubique manus oppositionem, sive lapilli jactum imaginem  
 quandam, s. symbolum prohibitionis violentæ fuisse censea-  
 mus, quasi illic nuntians simul hunc ritum nuntiationi adjici-  
 ceret, ut manum opponeret operi, quasi averfando, & simul  
 jactaret lapillum in vicini opus, ut significaretur hoc ritu, si  
 is pergeret, ei vim, & contentionem judiciariam esse para-  
 tam: Hic verò itidem nuntians declaret, se in symbolum  
 prohibitionis ex eodem illo opere, quod ædificatur, extra-  
 here & dejicere lapillum: posteriori sententiæ tamen ex  
 scriptoribus Cameralibus omnes ferè ad stipulari video.  
 Unde apud Schwanmann. in process. *Cam. lib. 1. c. 10. p. 56.*  
*in med. instrumenti nuntiationis hæc leguntur verba: Nach*  
*Verlesung erst inserirter Nuntiation befahlen obgedachte*  
*beede*

v. in opus  
Qr?



beede Herren des Junern Rathes anmeldten L. W. drey Stein  
 auß solchem neuen Gebäu / & sic ex opere zu nehmen / dieselbe  
 über berührt Gebäu in confirmationem beschehener Nun-  
 tiation zu werffen. Unde simul patet illud, quod à nonnul-  
 lis dicitur, nuntiationem, quæ fit per lapilli jactum, ab usu  
 recessisse, quo inclinat Anton Pichard. *ad d. Tit. de Interd. c. 3.*  
*n. 224.* Gotofred. *ad l. 5. §. meminisse 10. ff. h. t. lit. n.* ita sim-  
 pliciter non subsistere, licet enim hodie ut plurimum nun-  
 tiatio fiat per prætorem, s. Judicis jussu. vid. Carpz. *l. 1. Tit. 1.*  
*Resp. 6. num. 6.* Illum tamen nuntiationis modum planè sub-  
 latum, vix ac ne vix quidem crediderim, maximè, post-  
 quam apud Hollandos eundem observari tradit Simon  
 à Grænew. *de LL. abrogat. ad d. l. 5. §. 10.* ubi de Gallorum  
 moribus idem asserere non dubitat. In nostro Imperio hunc  
 modum usitatum, constat non tantum ex prælaudato nun-  
 tiationis instrumento, quod habet Schwanmann *obs. Cam. d. l.*  
 sed etiam per ea, quæ tradit Mindan. *d. tr. lib. 2. cap. 30. th. 8.*  
 Illud expeditum est, jactum etiam minimi lapilli ad novi  
 operis nuntiationem sufficere. *arg. l. 1. §. 6. ff. quod vi, a. clam.*  
 Anton. Pichard. *d. l.*

## VII.

Origo.

Originem Novi operis Nuntiationis quod attinet,  
 debere illam natales suos Juri Prætorio non dubitamus.  
 Quod quidem de verbali nemo in dubium vocat. *l. 1. pr. de*  
*N. O. N. l. 20. pr. eod.* Quanquam verò ipsum edictum ver-  
 bis non habetur, nihil tamen impedit, quo minus novi operis  
 nuntiatio ex Edicto Prætoris veniat. *arg. l. 1. pr. ff. ne quis eum,*  
*qui in jus. voc. l. un. §. 3. & 3. & 4. ff. si quis jus dicent non obtemp.*  
 Illud verò Edictum non tantum utile, sed & necessarium  
 omnino fuit. De utilitate infra dicturi sumus. Necessitas  
 verò exinde inter alia apparet, quòd interdictum quod vi,  
 aut clam ad opus in re soli, aut solo cohærenti perfectum: no-  
 stra verò nuntiatio ad opus nondum perfectum pertineat.  
 vid. Pichard. *p. 416. n. 236.*

A.



9.  
VIII.

Accedo ad personas, quæ Opus Novum nuntiare, & quibus Novum opus nuntiaripotest. Personas quod attinet, quæ novum opus nuntiare possunt, distinguendum est inter nuntiationem publicam & privatam. Illic novum opus nuntiat Prætor. *l. 16. ff. de N. O. N.* Hodie quis Magistratus comperens. vid. *Carpz. lib. 1. Tit. 1. Resp. 6. num. 6.* facit hoc ipsum vel per se, vel per alium, nempe, ut plurimum Magistratus hoc facere solet per apparitores nomine ejus, qui id postulat. *d. l. 16. ibi, jusserit nuntiarif. h. t.* Quæ nuntiatio & modestior, & firmiter est. Fieri enim potest, ut aliàs rectè nuntiatio fiat, sed non ut rectè lis ideo moveatur. vid. *l. 3. pr. in f. ibi: enim verò fieri potest, ut pignus rectè sit acceptum, nec tamen ab eo lis bene instituta. ff. de pignor.* Facile enim à verbis, privatisque concertationibus in verbera prorumpitur, nisi Prætoris intercedat auctoritas, dum quis licitum putat, contra aggredientem vi, jactu lapilli, vel objectione manus vi & manu se defendere ex ratione *l. 3. ff. de iust. & iur.* Et ideo consultius est, medio id est Judice, & judiciorum vigore uti, ne ad arma veniant contendentes. *l. 13. §. 3. ff. de usufr.* Molin. *de iust. & iur. tr. 2. D. 706. n. 15.* Insuper hic modus propter auctoritatem & Judicis, & actorum, quibus insinuari debet, aliis testimoniis non indiget. Tametsi super Prætoriâ etiam ejusmodi inhibitione instrumentum à Tabellione confici posse, tradat Mindan. *d. mandat. lib. 2. cap. 30. th. 9. num. 15.*

Personæ  
nuntian-  
tes.

IX.

Cum verò Magistratus non nisi imploratus faciat officium. *l. 4. §. 8. ff. de damn. inf.* Unde requiritur, ut aliqua præcesserit petitio. Ad instantiam namque partis fit nuntiatio. Mindan. *d. mandat. cap. 30. lib. 2. th. 7.* Interdum tamen, si publica necessitas hoc exigat, nuntiationem ex officio, etiam nemine petente, fieri posse non dubitamus. Hu-

ad petitio-  
nem tamen  
partis.

B

jus



jus illustre exemplum referunt in Maximiliano Imp. qui proprio motu non requisitus, ad Comitem Mansfeldium Albertum A. 1514. 16. Febr. Oeniponte severissimum mandatum inhibitorium emisit, cum cognovisset, Comitem prope Islebiam vicum quendam extruxisse, cuius civitatis, *Stadt-Recht* / dare vellet, his verbis: *Wann nun dir / auch jemand anders nicht geziemt / Stadt-Recht / oder das der hohen Obrigkeit anhängt / ohne sondere Erlaubniß anzurichten / so Befehlen &c.* Thom. Michael. in concl. d. Jurisdic. concl. 12. L. C. Bocet. de Regal. c. 2. n. 237. Joachim. Cluten. Syllog. rer. quotidian. concl. 22. l. D. Klock. de contrib. c. 5. n. 1. Lymn. d. Jur. publ. l. 2. c. 9. n. 129. Philipp. Knippsch. d. Civitat. Imp. Jur. lib. 1. c. 6. num. 14.

## X.

In privatâ,  
quæ sit ex  
causâ pu-  
blicâ,  
Cives.

Nuntiationem privatam quod attinet, distinguendum est, utrum nuntiatio fiat ex causâ publicâ, an verò ex causâ privatâ. Illic, opus novum nuntiare possunt, principaliter cives. l. 3. §. f. ff. de N. O. N. quia, ut loquitur **I**ctus in l. 4. ff. eod. Reip. interest, quam plurimos ad defendendam suam causam admittere. l. 2. §. 24. ff. ne quid in loc. publ. Quæ ratio facit, ut incolis etiam jus nuntiandi in causâ publicâ denegandum non sit. arg. l. 29. ff. ad municip. l. 1. l. 4. l. 5. C. d. incol. Bach. ad Treutler. vol. 2. disput. 18. th. 1. A. p. 11. Hahn. ad Wesenb. Tit. d. N. O. N. n. 3. C. J. A. h. t. n. 7. Dis. Tr. d. l. C. l. A. h. t. n. 6. Cæterum in causâ publicâ non aliter jus nuntiandi civibus competit, quàm si tales sint personæ, quibus causam publicam persequi fas est; non enim cuivis pro civitate agere licet, non certè illi, qui non integræ est famæ & existimationis. l. 4. ff. de popul. act. Tholosan. Syntagm. Jur. Univ. lib. 4. cap. 28. Quâ ratione excluditur etiam pupillus, qui in causâ publicâ ad nuntiandum habilis non est. l. 5. pr. ff. de N. O. N. adeò quidem, ut nec cum tutoris  
auto-



II.

autoritate nuntiare possit in causâ publicâ, cùm ipse tutor in causâ illâ nuntiare possit. Bach. ad Tr. vol. 2. d. 18. th. 2. lit. a. p. 12. Bocer. cl. 4. D. 18. th. 86. Idem dicendum de fœminis. arg. l. 6. ff. de popul. act. l. 2. d. R. 1. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. disp. 706. Duaren. ad h. t. cap. 3. Bocer. cl. 4. D. 18. th. 86. nisi ob singulare earum interesse. arg. d. l. 16. Tholosan. Syntagm. Jur. lib. 4. c. 28. n. 1.

XI.

Cùm verò ad nuntiationem in causâ publicâ principaliter cives sint admittendi: Hinc excluduntur illi, qui cives non sunt, ut sunt peregrini, quibus facultas nuntiandi in causâ publicâ concessa non est. Bach. ad Tr. vol. 2. D. 18. th. 2. lit. a. C. J. A. h. t. n. 6. nisi eorum quoque intersit, veluti, si ædificatur in viâ publicâ, quia tunc etiam peregrinis jus nuntiandi per l. 1. §. ult. ff. de viâ publ. post Bartol. Jason. concedit Bach. ad Tr. d. l. Peregrinis comparantur deportati, five proscripti ab Imp. vel Cam. Imperiali, non tantùm ex illâ ratione, quòd omnia juris civilis beneficia amittant. vid. Joh. Hermann. Stamm. de servit. personal. lib. 5. Tit. 3. cap. 4. Gail. 1. de P. P. cap. 19. & 20. Carpzov. tr. crim. p. 3. q. 140. n. 26. Mynsing. Cent. 3. observ. 30. Sed & propterea, quòd in causâ publicâ non nisi integræ famæ & existimationis personæ, nuntiare possint. l. 4. ff. de popul. act. Banitos autem infamiâ juris laborare est in confesso. vid. Joh. Herm. Stamm. d. tr. n. 10. Ord. Cam. Imp. part. 2. Tit. 8. §. Und wo er deshalben &c. ibi: für unredlich achten und halten.

Non peregrini, aut Deportati.

XII.

In causâ privatâ jus nuntiandi omnibus competit, ad quos res pertinet, cui opus novum nociturum est. l. 1. §. 19. ff. de N. O. N. l. un. §. 3. & 4. ff. de remis. Res autem dicitur ad nuntiatorem pertinere, quando ipse jus aliquod in re, cui opus novum nociturum est, habet. Molin. tr. 2. D. 706. num. 27. Removentur itaque omnes, qui non jus in re, sed

In causâ privatâ, qui jus habent in Re.





Non ad  
Rem.

saltem ad rem jus habent. Unde inquilinus & colonus, qui prædium habent conductum, nuntiare non possunt novum opus. *l. 3. §. 3. ff. de N. O. N. Molin. d. l. Quod Glos. & Dd. comm. ad omnes, qui saltem habent personalem actionem extendunt, adeoque nec emtor, nec donatarius, neque quispiam alius similis, qui saltem habent jus ad rem ipsis venditam, donatam, aut alio titulo debitam, nec dumque ipsis traditam, facultatem nuntiandi habent. Molin. d. l. Quamvis autem colono & inquilino non competat nuntiare opus novum, ratione prædii, quod habent conductum, si tamen videant aliquid ædificari in illius præjudicium, tenentur admonere locatorem illius prædii eâ de re, alioquin ad interesse essent obligati. *l. videamus. 11. §. item prospicere. 2. ff. locat. l. 13. §. 7. ff. eod. Gomez. V. R. tom. 2. c. 3. n. 21. Molin. d. l. n. 27. in f.* Absente tamen domino, quin opus novum nuntiare possit inquilinus, vel colonus nullum est dubium. *arg. l. 1. C. si per vim, vel al. mod. C. J. A. h. t. num. 5. Molin. d. l. ubi nuntiationem à colono factam validam putat, si nimirum is nuntiationem ratam dominum habiturum promiserit. Pichard. ad lib. 4. Inst. Tit. d. interdict. cap. 7. n. 285. Molin. d. l.* Illud verò, quod ibidem subjicit Molin. etiam conductorem & inquilinum opus novum nuntiare posse, si locator simul rem illam subjecisset hypothecæ, verum quidem est, sed hæc exceptio non est de regulâ, siquidem jus nuntiandi ipsi tum non propter jus quod ad rem, sed potius jus quod in re habet, competere, sit manifestum.*

## XIII.

Nec interest, illud Jus in Re sit dominium, Etiam minus plenum. Inter Juris in Re species principem locum habet dominium, ita ut virtualiter omnes reliquas suo ambitu completatur. vid. Dn. Hahn. de Jur. Rer. *th. 18.* Quin itaque dominus novum opus in suum præjudicium paranti nuntiare possit, dubitatione caret omni. *d. l. 1. §. 19. l. un. §. 3. ff. de remiss. neque interest, plenum habeat dominium, an verò minus*



nus plenum. Hinc nudus proprietatis dominus novum opus rectè nuntiat. Molin. *tr. 2. D. 706. n. 25.* Nec illud refert, an dominium habeat directum, an verò utile? Unde opus novum nuntiare potest vasallus. *arg. c. un. lib. 2. Feud. Tit. 8. §. Rei autem. junct. l. 9. ff. de N. O. N. ex quibus textt. argumentum fieri potest.* Cuicumque datur facultas servitutum vindicandi, is novum opus nuntiare potest. *d. l. 9. ff. de N. O. N.* Atqui servitutum feudali prædio debitam vasallus vindicare potest. *d. c. un. E.* De Emphyteuticario, superficiario idem omnino dicendum propter *l. 3. §. 3. ff. de N. O. N. l. 9. ff. eod. l. 16. ff. de servit.* Anton. Pichard. *ad lib. 4. Inst. Tit. 15. cap. 7. n. 283.* Bocer. *cl. 4. D. 18. th. 80.* Hahn. *ad Wesenb. h. t. n. 3.* Tholosan. *lib. 4. Syntagm. lur. c. 27. n. 10.*

## XIV.

Præterea illud nihil refert, utrum quis dominium habeat verum, an verò fictum. Novum itaque opus nuntiare potest Bonæ fidei possessor. *l. 1. §. 19. de N. O. N. junct. l. 136. d. R. I. l. 25. §. 1. ff. d. usur. l. 48. pr. ff. d. A. R. D.* Molin. *tr. 2. disp. 706. n. 26.* Tholosan. *lib. 4. c. 28. num. 1.* Bocer. *cl. 4. D. 18. th. 80.* Præterea ad nuntiationem novi operis sufficit, si pro parte quis illius rei dominus sit. Nam & socius adversus vicinum, s. tertium nuntiare opus novum potest, eum in effectum, ut respectu nuntiantis, non etiam aliorum valeat, nam si quoad omnes valere debet, ab omnibus nuntiatio fieri debet. *l. 5. §. 6. ff. h. t.* Nisi omnium nomine facta sit nuntiatio, tunc ratione reliquorum valeret, si socius reliquorum nomine caveat de rato, vel si speciale mandatum denunciando acceperit. Molin. *d. tr. de Inst. & Iur. d. 706. n. 30.* Illud omnino constat, quòd Socius Socio in re communi opus facienti nuntiare novum opus non possit. *l. 3. §. 1. & 2. ff. h. t.* Bachov. *ad Treutl. v. 2. d. 18. th. 2. lit. B.* Molin. *d. tr. num. 31.* Habet siquidem socius contra socium ædificantem ordinarium remedium, nimirum vel communi dividundo judi-

verum, vel  
fictum.



cium, vel implorationem officii judicis, quibus, ne fiat novum opus, impedire potest, cum in pari causâ potior sit conditio prohibentis, s. impediens. *l. 28. ff. commun. divid.*

## XV.

An alia juris in re species, ut puta pignus.

Neque verò dominus tantum novum opus nuntiare potest, sed & is, qui aliud quoddam jus in Re habet à dominio separatum, quale censetur habere creditor in pignore, cui propterea novi operis nuntiatio est concessa. *l. 9. ff. de N.O.N. l. un. §. f. ff. de remis.* Molina de Just. & Jur. d. tr. 2. d. 706. num. 26.

## XVI.

Servitutum Realis.

Qui servitutum in re alienâ habet, habet sine omni dubio jus in re, & quidem tale, quod à dominio est separatum. *l. 13. §. 1. ff. de damn. inf. l. 30. ff. d. noxal. act.* Utrum verò is novum possit nuntiare opus, maxima est inter Dd. controversia: Affirmat quippe hoc ipsum **Ictus Ulpianus** in *l. un. §. 3. ff. de remis.* hisce verbis: *Ius habet novum opus nuntiandi, qui aut dominium, aut servitutum habet.* Sed in contrarium est Julianus, in *l. 14. ff. de N.O.N.* ubi ita respondet: *Qui viam habet, si opus novum nuntiaverit, adversus eum, qui in viâ edificat, nihil agit, sed servitutum vindicare non prohibetur.* Varii variè hunc nodum dissolvere conantur, ut eorum referendis solutionibus longissimo opus esset commentario. Placuit tamen frequentius discrimen inter servitutes rusticas & urbanas constituendum, ut in urbanis novum opus nuntiarî possit, in rusticis non possit, idque agrorum favore, ne eâ occasione aut deseratur, aut intermittatur eorum cultura, cui semper est favendum. *l. 1. §. de eo opere. ff. de aq. pluv. arcend.* Et hanc sententiam post Glos. Bald. Angel. Alexandr. Jason. Donell. omnes ferè **Ictos Hispanos** tueri tradit Anton. Pichard. *ad lib. 4. Inst. Tit. 15. §. 2. cap. 4. num. 255.* Verum, cum generaliter dicat Ulp. in *d. l. un. §. 4.* jus habere nuntiandi, qui aut dominium,



nium, aut servitutem habet. Ideoque generalia verba sine violentiâ ad urbanam servitutem trahi non possunt. Deinde quod in rusticis servitutibus nuntiatio locum habeat, probat text. in *l. in iudicio 47. ff. fam. ercisc.* Alii verò inter nuntiationem directam & utilem distinguunt. Et sententiam Ulpiani in *d. l. un. de directâ*: Juliani verò, de utili novi operis nuntiatione accipiunt. Quibus lubentissimè accederem, nisi non sine mysterio Julianum in *d. l. quæ viam. de servitute viæ* loquutum, rationemque adeò specialitatis non obscuram subesse, persuasum haberem, de quâ in conflictu, Deo dante, commodior fortè dicendi dabitur locus.

## XVII.

Usufructuarius, quin servitutem in fundo fructuario, adeoque jus in Re habeat, dubitatione caret omni. Unde de eo controversi etiam solet, num facultas nuntiandi eidem sit concessa? Varias iterum Dd. opiniones deprehendere licet apud Anton. Pichard. ad *Tit. Inst. d. interdict. cap. 7. num. 278.* Nos distinguendum putamus, an ipse dominus novum opus faciat in fundo fructuario, quod ipsi nociturum esset, an verò tertius. Illic, nuntiare domino novum opus non potest, quia paratum tum habet remedium, actionem sc. confessoriam, quâ consequitur nuntians, ut novum opus tollatur, vel interesse præstetur. *l. 2. ff. de N. O. N.* Hæc siquidem actio toties locum habet, quoties jus fructuarii deterius redditur. *l. un. §. 4. ff. de remis. l. 5. §. ult. ff. si ususfr. pet.* quod sanè fit, novum opus, quod antea in fundo fructuario non erat, quodque nociturum est fundo, extruendo. Et de hoc casu nemo quidem dubitat. Molina de *Just. & Jur. tom. 2. tr. 2. disp. 706. n. 25.* Posteriori casu, si tertius novum opus fecerit in fundo fructuario, tunc disting. inter directam nuntiationem & utilem. Illam non habet; quia ordinaria illi tunc actio

quàm Personalis.



actio competit, nimirum confessoria ad vindicandum suum usumfructum, etiam contra tertium: Quod tamen ipse utiliter novum opus nuntiare possit, textus est, qui hanc sententiam probat, *in l. un. §. 4. ff. de remiss.* Sed an suo nomine id facere possit, an verò procuratorio nomine, iterum non conveniunt Dd. Et quidem non nisi procuratorio nomine nuntiare opus novum posse, post alios tenet Anton. Pichard. ad *Tit. Inst. d. interdict. cap. 7. num. 278.* Molina *d. l.* Sed hinc iterum dist. an directò velit novum opus nuntiare, an verò utiliter. Si directò, non nisi procuratorio nomine nuntiare poterit; quasi eo ipso, dum alicui competit ususfructus in realiquâ, censeatur factus procurator quoad eam rem proprietarii, nec solùm possit, sed etiam teneatur, curam ejus rei habere nomine ac loco proprietarii, adversus quemcunque præjudicium circa illam molientem. *l. 1. §. ult. junct. l. 2. ff. usufr. quemadm. cav.* Quod si verò utiliter novum opus nuntiare velit, tunc proprio nomine nuntiare potest. Ita accipienda *l. un. §. 4. ff. de remiss.*

## XVIII.

Modò personæ aliàs sint habiles.

Ut verò nuntiatio privata rectè perficiatur, non sufficit, nuntiatorem esse illius rei dominum, aut Jus in Re habere, sed insuper illud requiritur, ut liberam habeat potestatem rem suam administrandi. Unde ex hâc ratione removeretur pupillus, qui sine tutoris auctoritate novum opus ne quidem in proprio fundo factum nuntiare potest. Nuntiatorem siquidem, si sine justâ & sufficienti causâ novum opus nuntiaverit, quasi alterum re suâ uti non permittat, injuriarum non tantùm actione. *l. 13. §. f. ff. de injur.* sed & ad interesse teneri constat. Ne itaque damnum aliquod incurrat pupillus, necessaria ei est tutoris auctoritas. arg. *princ. Inst. d. auct. tutor. l. 5. pr. ff. de N. O. N.* De minore 25. annis curatorem habente idem judicium esto. arg. *l. 3. C. d. in integr. restit.* Bachov. ad Treutl. *vol. 2. disp. 18. th. 2. pag. 12.*

XIX. Præ-



17.  
XIX.

Prædictæ autem personæ, quibus jus nuntiandi est concessum, hoc ipsum facere possunt vel per se, vel per Procuratorem. *l. 5. §. 18. l. 13. pr. ff. h. t.* Illud omnino est expeditum. Per procuratorem verò si quis novum opus nuntiare velit, non aliter nuntiatio rata habebitur, quàm si procurator de rato caverit, utique si vel generalis sit, vel si de ejus mandato dubitetur. Quòd si enim speciale habeat ad nuntiandum mandatum, de rato cautione opus non erit. Quia in rebus ferè omnibus maximi licet præjudicii, cautio de Rato, ab eo, qui mandatum habet expressum domini, exigitur nulla. *l. 1. C. de procurat. & ibi Dd. comm. l. 65. ff. eod. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. disput. 706. num. 29. Non obst. l. 5. §. 18. in f. ff. d. N. O. N.* ubi cautionem de rato exigere videtur **Jctus** etiam à vero Procuratore. Nam potest quidem verus quis esse procurator, ita tamen, ut, an talis sit, certò non constet, v. c. si sit generalis, vel ad negotia constitutus procurator. Bach. ad *τὰ πρῶτα Tit. ff. de procurat. cap. 4. n. 9. p. 823.*

Tunc per Procuratorem quoque id faciunt.

XX.

Novum opus nuntiarì potest illis, qui opus novum in alterius præjudicium parant. Neque necesse est, ut illis ipsis fiat, qui opus novum parant, sed etiam omnibus fieri potest nuntiatio, qui ejus nomine præsentés sunt in opere. *l. 5. §. 3. h. t.* Quà ratione fabro, vel opifici facta nuntiatio, dominum eo ipso momento, quo facta est, obligat. Qui enim fabro nuntiat, rectè nuntiat. *d. 5. §. 3. l. 10. l. 11. ff. h. t.* non autem rectè nuntiaret, nisi nuntiationem sequeretur effectus nuntiationis. Sunt quidem nonnulli, non infimi subsellii JurisConsulti, qui nuntiationem tum demum nocere domino putant, quando ad notitiam domini pervenerit, sed sine sufficienti, uti opinor, ratione. Siquidem **Jctus** Ulpianus in *d. l. 5. §. 3.* generaliter affirmat, quòd etiam fabris, vel opificibus, qui eo lo-

Nuntiatus illis, qui opus parant.

Etiam fabro.

C

ci



ci operantur, opus novum nuntiari possit. Quæ nuntiatio non nisi nominatenus nuntiatio dici posset, nisi illi legitimos & veros tribueremus nuntiationis effectus. Unde in *d. l. 5.* non exprimitur, quòd nuntiatio fabro facta domino sit nuntianda. Quod itaque lex non cantat, illud nec nos cantare debemus per vulgat. Illud quidem dubitatione caret omni, quòd domino contra fabrum, aut opifices, qui post nuntiationem factam ab opere non destiterunt, præstò sint juris remedia, quippe his culpâ non carentibus, cùm scire debuissent, quòd ab ipsis post nuntiationem factum, contra Edictum Prætoris factum sit. *l. 5. §. 3. d. t.* Interim tamen exinde non sequitur, quòd nuntiatio non teneat, quia sibi imputare debet, qui negligentes fabros, aut ministros adhibuit. Anton. Pichard. ad Tit. Inst. d. interdict. *cap. 7. n. 296.* Bach. ad Treutl. *v. 2. d. 18. th. 1.* Unde utile esse consignare simul nomina eorum, quibus nuntiatum est, scribit Petr. de Ferrar. act. *N. O. N. n. 4. in fin.* Petr. Frider. Mindan. *d. mandat. l. 2. c. 30. num. 13.*

## XXI.

Præterea illud non refert, cujuscunque conditionis sint illi, qui in opere sunt, servi, an liberi: masculi, an fœminæ: majores natu, an pueri, vel puellæ: modò sc. illi, quibus fit nuntiatio, intelligant, aut sit aliquis, à quo possit moneri. Pro non dicto enim est, quod alii dictum, ab eo non intelligitur, & est æquum nuntiationem ita institui, ut caveri possit ab adversario, ne quid contra nuntiationem fiat. *l. 10. l. seq. ff. de N. O. N. Bocer. cl. 4. d. 18. th. 89.* Quando itaque in *d. l. 10.* ut & *l. 5. §. 3.* dicitur, *nuntiationem furioso, infanti, vel puero, vel puellæ fieri posse*, sic intelligendum est, non quasi dicatur, ipsi furioso nuntiari posse, sed ut significetur, nuntiationem fieri posse, quæ furioso & infanti domino noceat, semper tamen cum hâc exceptione, dum fiat intelligenti, qui possit renuntiare his, qui cavere possint, quod continenter explicat Ictus Paulus in *d. l. 11. h. t.* dum scribit: *Cuilibet*

bet



bet enim intelligenti, veluti fabro, nuntiatum, infantem & furiosum tenet. Cui consequens est, quod adversus absentem etiam invitum & ignorantem nuntiationem procedere verissimum sit. *l. 1. §. 5. ff. de N. O. N.* Nuntiatio siquidem in rem fit, non in personam. *l. 10. ff. h. t.* Ergo nihil refert, cui nuntietur, modò domino possit nuntiarī. Quando tamen nullus, qui dominum operis attinet, est in loco, validè quidem ibi fieri potest nuntiatio, sed ad hunc saltem effectum, ut si postea ad notitiam domini pervenerit nuntiatio, sortiat̄ur illa suum effectum. arg. *l. 4. §. 6. ff. de damn. inf.* Si non pervenerit, non teneatur. *Molin. d. tr. 2. d. 706. num. 20. in f.*

## XXII.

Illud verò hīc prætereundum non est, quòd si plures sint, qui opus novum parant, & uni ex his nuntietur, nuntiatio omnes teneat, & perinde habeatur, ac si omnibus esset denuntiatum. *l. 5. §. si plurium. 5. ff. d. N. O. N.* Quod si enim nuntiatio servo facta, domino nocet. *l. 5. §. 3. d. t.* quanto magis socio, qui & ipse aliis renuntiare & potuit, & debuit. *Bocer. cl. 4. D. 18. th. 88.* Sed si unus ædificaverit post nuntiationem, alii, qui non ædificaverunt, non tenentur. *d. l. 5. §. 5. Tholosan. lib. 4. c. 28. n. 2.* Denique illud ad personas, quibus novum opus nuntiat, pertinet, quòd Jure Romano Prætori, & Magi stratibus majoribus nuntiatio fieri haud potuerit, nisi interposita prius protestatione, quâ facta, novi operis nuntiatio suum sortiebatur effectum. *l. 5. §. 7. ff. de N. O. N.* Hodie verò, etiam absque protestatione novum opus nuntiarī Prætori, docet Simon à Groeneweg *d. LL. abrogat. ad d. l. 5. §. 7. & Dd. comm.*

## XXIII.

Objectum nuntiationis est novum opus in re soli, vel solo cohærenti paratum. Requiritur itaque  
I. ut opus aliquod factum sit. Opus dicitur  
aliàs illud, quod ad finem est perductum, perfectum, & omnibus

Quid si plures opus novum parant?

Ad Objectum pertinet  
I. opus factum



bus numeris absolutum. *l. 5. §. 1. ff. de V. S. ibi: ex opere factō corpus aliquod perfectum. l. 80. §. 1. ff. ad L. Falcid.* Nonnunquam tamen vocabulum opus etiam de imperfecto, sive opere cœpto dicitur. *l. 29. §. 3. ff. locat.* Et ita in hoc loco sumitur. Non enim requiritur, ut opus sit perfectum, sed inchoatum sufficit. *l. 21. §. 3. ff. de N. O. N. Tholosan. Syntagm. Jur. lib. 4. c. 27. num. 3.* Nuda quidem, ac simplex destinatio non sufficit, sed præparatoria ut præcesserint, requiritur, ut si quis locum propter novum opus purgari faciat, lapides & cæmenta convehi curet. *l. 5. §. 2. h. t. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 18. th. 1. lit. d. Oldendorp. class. 3. act. 7. sub f. pr. Mandan. d. mand. l. 2. c. 30. num. 4. Bocer. cl. 4. D. 18. th. 69. Schwann. Cam. observ. 131. n. 10. Gylm. Tom. 2. part. 3. t. 9. p. 205.* perfectum tamen ut sit opus, non est necessarium. Non obst. *l. 20. §. 2. ibi: sive locus vacuus sit, sive adificatus.* vid. Bachov. ad Tr. d. l. II. Requiritur, ut opus in re, aut solo coherenti sit factum. In mobilibus enim locum non habet novi operis nuntiatio. *l. 1. §. 12. ff. de N. O. N.* III. Ratione objecti necessarium est, ut opus illud factum in pristinum statum reduci possit. Prætor enim post novi operis nuntiationem opus factum omnino restitui jubet. *l. Prætor. 20. in pr. ff. h. t.* Unde non omne opus operis novi nuntiationem recipit, sed id tantum, quod in solo fit, ut sit extructi demoliendi, aut depositi iterum ædificandi copia. Proinde operis novi nuntiatio locum non habet, si quis messem faciat, uvas colligat, arborem succidat, aut simile quid faciat. *l. 1. §. 12. h. t.* Quanquam enim in solo & ipse aliquid facere videatur, cum fructus pendentes pars sint fundi. *l. 44. ff. de R. V.* illud tamen cum in pristinum statum reduci non possit, ad hoc Edictum non pertinet. *d. l. 1. §. 12.* Messis autem semel desecta, arbor semel excisa, vinea semel putata non restituitur, quia nec extat, nec manet. Rectè ergo hoc casu interdicto, quod vi, aut clam, non operis novi

2.  
In Re soli.

3.  
Quod in  
pristinum  
statum re-  
duci ne-  
quit.

11-



interdicto agendum. Bocer. *cl. 4. disp. 18. th. 67.* Molin. *d. Just. & Jur. tr. 2. disp. 706. num. 7.* Schwanmann. *observat. Cameral. 135. num. 7.* Alexand. *Trentacinq. V. R. Tit. d. N. O. N. Resol. 1. num. 35.* Tholosan. *lib. 4. Syntagm. lur. Univ. 6. 27. num. 3. & 5.*

## XXIV.

IV. Ratione objecti requiritur, ut novum opus pareretur. Novum autem opus hoc loco dicitur, quando pristina forma immutatur. Et uti definit **Jctus** in *l. 1. §. 11. ff. h. t.* ubi quis aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat. Non itaque locum habet nuntiatio, si unum, aut alterum cæmentum sit impositum, aut fenestra detracta. *l. 21. §. 3. ff. h. t. l. 5. §. 11. eod.* Hinc si quis fulciat ædificium, novum opus ipsi nuntiari non potest, quia non facit novum opus, sed veteri sustinendo saltem remedium adhibet. *l. 1. §. 13. h. Pichard. ad Tit. 15. Inst. de interdict. c. 6. n. 267.* Hahn. *ad W. h. t. n. 3.* Schwanm. *Obs. Cam. 135. n. 9.* Bocer. *cl. 4. d. 18. th. 66.* Idem dicendum de nudâ & simplici refectione, quâ nihil additur, vel detrahitur; Quia nec is, qui reficit, novum opus facit, cum pristinum statum opus non mutet sed potius, sed potius imminutum & incorruptum restituat. *arg. l. 1. ff. de viâ publ. Molina de Just. & Jur. d. disp. 706. n. 10.* Surd. *lib. 1. cons. 121. n. 7.* Si verò refectione non sit simplex ac nuda, sed pristina forma adjiciendo aliquid, vel detrahendo immutetur, tum ob talem refectionem nuntiatio deneganda non est. *arg. l. 5. §. 11. h. t. Bach. ad Tr. v. 2. disp. 18. th. 1. lit. d. Pichard. d. l. ut si quis sub specie refectionis locum altior, latior, vel humiliorem faciat. arg. l. un. ff. de viâ publ. Matth. de Afflict. decis. 392. n. 12. Nicol. Boër. cons. 144. n. 15. lib. 3. Schrad. de feud. p. 2. c. 3. n. 44. Casp. Klock. Tom. 3. cons. 166. n. 5.*

Sed 4.  
Novum  
tantum.



Non Præ-  
teritum.

Pater simul ex his, quæ modò dicta sunt, quòd nuntiatio non ad facta præterita, sed futura tantùm pertineat. Quòd si enim jam aliquid factum sit, tunc cessante hâc nuntiatione, locum habet interdictum restitutorium. *l. 1. §. 1. h. t. Molin. d. tr. 2. disp. 706. num. 3. Gail. 1. obs. 16. n. 16. Wesenb. cons. 34. n. 51. Marant. cons. 56. n. 3. Carpz. lib. 1. Resp. 6. num. 10. ubi in fin. tale adjicit præjudicium: Diemeil beklagter Rehe den Bau der streitigen Mauer albereit verfertigt / und zu Ende gebracht / so hat die Nuntiatio novi operis ferner nicht Statt. V. R. W.* Illud nihil interest, si ve opus novum fiat intra oppidum, si ve extra illud, si ve in villis, si ve in pagis. *Molin. d. l. num. 12. si ve in loco sacro, si ve religioso. l. 1. §. 17. Negat quidem Wesenb. in loco Religioso nuntiationem fieri posse. ad w. h. t. sed contrarium evincunt. d. l. 1. §. 17. h. t. c. 1. §. 2. x de N. O. N. Nam & in præjudicium unius Ecclesiæ alterius ædificatio non permittitur. c. 3. x d. Eccles. c. quicumque & c. Ecclesie. 16. q. 1. Tholos. lib. 4. cap. 27. num. 12.* Neque illud refert, utrum quis in loco privato ædificet, an verò in loco publico. *d. l. 1. §. 17. C. J. A. h. t. n. 7. Franc. de Claper. decis. Cur. Provinc. caus. 22. q. 12. Græven. lib. 1. concl. 16. num. 14.* Et, si ve in loco proprio fuerit novum opus exstructum, si ve in loco alieno. Illud fit, quando quis v. c. in suo ædificat ita, ut simul immittat aliquid in alienum. *l. 5. §. 8. ff. d. N. O. N. In suo enim alii hætenus facere aliquid licet, modò nihil immittat in alienum. l. 8. §. 5. ff. si serv. vind.*

## XXVI.

Quando-  
que tamen  
N. subsistit,  
si publicæ  
salutis gr.  
fiat.

Cæterùm ab Objecto novi operis nuntiationis ea excipiuntur opera, quæ publicæ salutis, vel utilitatis causâ fiunt, ut si quis rivus, vel cloacas purgaret, aut reficeret. *l. 1. §. 2. d. cloac. l. 5. §. 11. ff. de N. O. N. Gail. 1. obs. 16. num. 8. Bocer. d. disp. 18. th. 71. Hahn. ad W. hic num. 3.* Item quorum mora & dilatio periculum aliquod allatura est. *l. 5. §. 12. h. veluti, si in*



in manifesto ruinæ periculo ædes demoliretur quis, ut eas restitueret, vel adversus vim imminentem maris, aut fluminis aggerem exstrueret. Bocer. *d. d. 18. th. 71.* Nam quoties periculum est in morâ, receditur à regulis juris communis, & remittitur juris dispositio etiam prohibitiva. Gail. *i. obs. 16. num. 9.* Et quamvis multi id restringant ad imminens periculum boni communis, aut viciniæ, vel multorum: verius tamen est, quòd id sit intelligendum quoque de periculo privati. LL. enim supradictæ non distinguunt. E. nec nos. *arg. l. 8. ff. de publ. in rem. act. Molin. d. Tr. num. 11. circ. med.*

## XXVII.

Dicendum paucis de Nuntiationis formâ, quæ in eo consistit, ut ritè & legitimè perficiatur. Consistere autem dicimus illam in ipsa prohibitione, ne quis in illo opere pergat. Illa prohibitio quot modis fiat supra dictum. Cæterum quocumque modo fiat, debet omnino esse legitima, non enim qualiscunque nuntiatio sufficit, sed quæ justè, ritè & utiliter fit. Ratione formæ autem non aliter dicitur legitima, quam si fiat in re præsentis, id est, in eo loco, ubi opus fit, *l. 5. §. 2. h. t.* Extra locum si fiat, nuntiatio non valet. Anton. Pichard. *ad d. Tit. Inst. d. interd. cap. 2. n. 205. Gail. i. O. 16. n. 10.* Hinc, si quis opus novum nuntiare velit domino ipsi in foro, aut alio loco publico, inutilis est nuntiatio, nec attenditur hinc nuntiati scientia. Quod ideo placuit, ne si fortè alibi nuntiatio fiat, & dum venit ad opus, aliquid fuerit operis per ignorantiam factum, eveniat, ut contra Edictum Prætoris sit factum, & tamen sit impune. Itaque inutilis est nuntiatio, quæ in opere non fit, ut nimirum confestim, & sine cunctatione ab opere discedatur. Unde si in pluribus locis opus fiat, plures nuntiationes desiderantur. *l. 5. §. 16. ff. h. t.*

## XXVIII.

Finis nuntiationis vel est intermedius, vel ultimus. Intermedius est, ut novum parans opus ab opere post  
nun-

Forma in  
prohibitione  
ne consistit.

facta in re  
præsentis

Finis inter-  
medius.



Ultimus.

nuntiationem factam, donec constet, jus ædificandi habere, discedat. Ultimus finis est vel juris nostri conservatio, vel damni propulsio, vel juris publici tuitio. *l. 1. §. 16. ff. de N. O. N.* Juris nostri conservandi gratiâ fit nuntiatio, qui in suum immitti non patitur, aut in eum locum, in quo servitutum constitutam habet. *l. 5. §. 8. ff. d. t.* Damni depellendi is, qui periculose ædificanti opus novum nuntiat, ut periculum à se avertat. *l. 1. §. 17. d. t.* Et in eo primarius quoque finis consistere dicitur, ne vicinus opere suo, quod instituit, nobis noceat. *l. 5. §. 10. ibi: aut in suo, quod nobis noceat. ff. h. t.* Publici juris tuendi gratiâ is, qui ædificanti in loco sacro, religioso, aut publico nuntiat novum opus, aut ædificanti quidem in privato, sed contra leges, edictave Principum, quæ admodum ædificiorum facta sunt. *d. §. nunciamus. 17. l. 1. h. t.* Quâ ratione nuntiationem Pedius Jctus statuit triplicem, naturalem, publicam, & impositiam. *l. 5. §. 9. h.* Naturalis & impositia est illa eadem, quæ juris nostri conservandi causâ dicitur. Siquidem habet naturalem causam nuntiandi is, in cujus ædes quid immittitur, aut in cujus solo quid ædificatur. Impositiam, cum quid fit in eo loco, in quo imposita est servitus, postquam enim quis jus suum diminuit, & alterius auxit, hoc est, postquam servitutum ædibus suis imposuit, si ædificet, quia contra servitutum facit, rectè ei novum opus nuntiat. Publicam, cum quid fit in publico, aut in privato contra LL. quod publici juris tuendi gratiâ prohibemus. *d. l. 5. §. 9.* Ex his jam facile liquet, eam nuntiationem, quæ ex aliquâ ex his causis non fiat, esse injustam atque inutilem.

## XXIX.

Causæ allegationem non requirit.

Cæterum, ut nuntians causam nuntiationis adjiciat necessarium non est. Quod enim dicitur à Bartol. *in l. 1. §. 9. ff. de N. O. N.* causam ab ipso Nuntiatore esse exprimendam, illud non ad ipsum actum nuntiandi pertinet, sed ad nuntiationis justitiam.



justificationem. Ipsa nuntiatio tenet, etiam si per injuriam facta sit. *l. i. pr. ff. h. t.* Quin imò postquam receptum, ut non tantum fabricis, sed etiam puero, vel puellæ nuntiatio fieri: facile etiam contingere posset, ut nuntians vel nullam, vel falsam causam, & per injuriam exprimat, quocirca causæ expressionem in ipso nuntiandi actu non desideramus cum Bach. ad Tr. vol. 2. d. 18. th. 1. lit. C.

## XXX.

Tempus quod attinet nuntiationis, nihil interest, quo fiat tempore nuntiatio. Unde Ulpian. in *l. i. §. 4. h. t.* omnibus diebus eam fieri posse, respondet. Nihil itaque impedit, quo minus nuntiatio etiam diebus feriatis fieri possit. Quod de privatâ nuntiatione concedunt ferè omnes per *d. l. i. §. 4. Molin. d. Inst. & Jur. tr. 2. d. 706. num. 18.* Neque ab hac regulâ excipiendam esse publicam, quæ fit à prætore, nuntiationem, facit, quòd diebus feriatis, id quod prætermissum noceret, agere liceat. Inter quæ cum causa damni infecti, quæ huic nostræ denuntiationi novi operis est valde affinis, & proxima referatur, *l. 2. ff. d. fer.* & in utrâq; eadem ferè sit ratio, efficitur, feriatis quoque diebus, ne aliàs noceat, nuntiationem fieri posse. De feriis divinis aliud dicendum regulariter propter *l. f. C. de fer.*

## XXXI.

Nunc de nuntiationis Effectu dicendum. Hic verò distinguendum, utrum nuntiatio ritè & debito modo facta sit, nec ne, si posterius, & unum ex supra dictis deficiat, nulla est nuntiatio, & impunè sperni, ac opus perfici potest. Carpz. lib. 1. R. 7. n. 2. & seqq. Zoës. in Comm. h. t. num. 15. Gail. 1. O. 16. n. 7. Bach. ad Tr. vol. 2. D. 18. th. 1. lit. a. Si prius, præcipuus nuntiationis effectus in eo consistit, ne vicinus, qui ædificare instituit, in novo opere ædificando, nuntiatione factâ pergat, sed statim ab opere desistat & quiescat.

Effectus  
communis

ut ab opere  
desistat  
nuntiatum.

D

l. i.



*l. 1. pr. ff. h. t.* obtemperandum enim est nuntiationi, siue bene, siue malè facta fuerit. *d. l. 1. pr. ff. h. t.* Per nuntiationem siquidem quasi appellatio quædam extrajudicialis censetur interposita, quâ pendente, nihil innovandum. *tot. tit. C. pend. appell. nihil innov.* Et novum opus parans sese juris, non facti viâ tueri debet. *l. 1. §. 9. ff. h. t. Gail. 1. obs. 16. num. 1. & 2. Hahn. ad W. h. t. num. 11.* Neque ipse tantum opus parans ab opere cæpto desistere debet, sed etiam ejus heredes. *l. 8. §. fin. ff. h. t.* Respectu enim nuntiatii realis est nuntiatio. *l. 10. ff. h. t.* ac proinde morte ipsius non extinguitur. *d. l. 8.* Idem dicendum de singulari successore. per *l. fin. ff. de N. O. N.*

## XXXII.

alioquin  
destruere  
tenetur.

Quòd si spretâ nuntiatione, nuntiatas, vel ejus heredes, vel etiam successores singulares ædificaverint, statim obligantur ad id destruendum, quod post nuntiationem factum est. *l. 20. §. 3. h. t. & quidem propriis sumptibus. d. l. 20. §. 1. & 3. h. t.* Nec interest, utrum jus ædificandi habuerit, nec ne. Non enim hîc quæritur de justitiâ causæ, sed illud saltem, an contra Edictum Prætoris aliquid factum fuerit. *d. l. 20. §. 1. & 3. Carpz. lib. 1. §. 6. num. 7. Anton. Pichard. d. cap. num 300. Surd. consil. 121. n. 10. Græv. concl. Pract. concl. 16. n. 2.* Cùm itaque, quicquid post nuntiationem novi operis ædificatum fuerit, deponi & demoliri oporteat, qui opus novum nuntiat, si quid operis jam factum sit, in testationem referre debet, ut appareat, quid postea factum sit, & ut appareat, quid postea ædificatum sit, modulus sumere debet is, qui denuntiat, qui, ut sumantur, conferanturque, Prætor decernere solet. *l. 8. §. 1. ff. de N. O. N. Mindan. d. Mandat. lib. 2. cap. 30. n. 3. Bocer. d. disp. 18. th. 70. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. lib. 4. c. 30. n. 2.* licet enim non vitietur Edictum demolitorium, quamvis non sit mensuratum, incumbit tamen nuntianti probatio, quantum sit ædificatum post nuntiationem. Ferrar. in Pract. form. libell. sup. nov. op. nunc verb. novum opus n. 8. Græven. d. concl. 16. n. 9. Gylm. Symphorem. part. 3. tom.



*rom. 2, T. 9. Suppl. 1.* Sunt autem moduli mensuræ, operis dimetiendi causâ institutæ. Anton. Pichard. *d. l. num. 303.*

## XXXIII.

Ad opus verò novum post denuntiationem factam destruendum datur speciale interdictum demolitorum, quod extat in *l. 20. pr. ff. de N. O. N.* quod post annum & in perpetuum. *l. 20. §. 6. ff. d. t.* datur nuntianti ejusque heredibus & successoribus. *d. l. 20. §. 6.* contra nuntiatum, qui post novi operis nuntiationem aliquid novi operis fecit, & adversus eos, qui rati habuerunt, quod factum est. *l. 20. §. 7. h. t.* & adversus successores nuntiatum tam universales. *l. 8. §. f.* quàm singulares. *l. f. ff. d. t.* ad destruendum id, quod post nuntiationem factum est. Opus autem post nuntiationem factum censetur, non si unicum, vel alterum cæmentum jam fuerit impositum, sed si proponatur instar quoddam operis, & quasi facies quædam facti operis. *l. 21. §. 3. ff. h. t.* Mindan. *d. mand. l. 2. cap. 30. n. 3.*

interdicto  
de molitio-  
rio.

## XXXIV.

Destruere itaque, & demoliri debet nuntiatum id, quod post nuntiationem factum est, suis sumptibus, uti supra dictum. Nisi, ipso invito, esset ædificatum, quo casu præstat solam patientiam demolitionis. *arg. l. 13. §. f. ff. quod vi, aut clam.* Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. *Vniv. lib. 4. cap. 30. num. 1.* Idem dicendum, si domino absente, opificibus, vel fabro facta sit nuntiatio, & ab his, spretâ denuntiatione, aliquid in opere peractum est, nam quamvis & hic patientiam cogatur præstare ad operis demolitionem, non tamen expensas, quas vel opifices, vel fabri, quibus nuntiatum est, solvere debent. Uti contra Glos. post Bart. Speculat. Gomez. tradit Anton. Pichard. *d. cap. 8. num. 302.* Mindan. *d. Mandat. lib. 2. cap. 32. num. 14.* vel si contra heredes agatur hoc interdicto, tunc hi pariter solam patientiam destruendi operis præstabunt. Nam quod nuntiatum propriis sumptibus tenetur destruere ædificium, illud pœna est, & propterea ab heredibus nuntiatum



non exigitur, sed morte ipsius extinguitur. *l. 22. ff. h. t. Mindan. d. l. nisi ipsius quoque heredis dolus, vel culpa inter-  
venerit, ut si ipse sciens nuntiationem defuncto factam, opus  
continuaverit, quo casu propriis etiam sumptibus ædificium  
destruere cogitur. arg. l. 20. §. 8. ff. h. t. Bocer. cl. 4. Diss. 18.  
th. 101. Quæ dicta sunt de heredibus, locum etiam habent in  
successoribus singularibus, nam & illi, si non sint in dolo vel  
culpâ, patientiam præstare coguntur. d. l. 22. l. f. ff. h. t. arg.  
l. 16. ff. quod vi, aut clam. Mindan. d. mand. lib. 2. cap. 32. n. 14.  
Molina d. tr. 2. disp. 706. n. 19. in dolo autem censetur esse  
emtor, si nuntiationis à venditore fortè conscius emeret, aut  
in opere persisteret. Pichard. d. l. c. 2. n. 210.*

## XXXV.

In Camerâ Imperii, si post nuntiationem aliquid fuerit  
ædificatum, decerni solent mandata demolitoria, quibus  
ædificanti mandatur, omnia, quæ post nuntiationem facta  
sunt, absque remissione demoliri. Frider. Mindan. d. Man-  
dat. lib. 2. cap. 32. num. 3. Rhoding. Pand. Cam. lib. 3. Tit. 10.  
§. 8. cujus mandati formulam vid. apud Schwann. Process.  
Cam. lib. 1. cap. 10. pag. 52. integrum quidem contra ædifica-  
torem nuntianti, quando is refractariè pergit in faciendo  
opere, nullâ ejus remissione impetratâ, mandata impetrare  
inhibitoria operis, ut vocant. Rhoding. d. Tit. 10. §. 3. Gail.  
1. obs. 16. num. 2. Mindan. d. Mandat. lib. 1. c. 32. n. 2. Schwan-  
mann. Process. Cam. lib. 1. cap. 10. quando tamen jam aliquid  
inædificatum est, illud non nisi mandato demolitorio resti-  
tuendum venit. Cæterùm de requisitis horum mandato-  
rum vid. Rhoding. d. l. §. 10. Schwann. Process. Cam. lib. 1.  
c. 10. Vocantur autem hæc mandata vulgo restitutoria. Gail.  
lib. 1. obs. 16. num. 14. Schwann. d. l. cap. 10. pag. 52.

## XXXVI.

Effectus  
Specialis.

Et hæc quidem de Effectu Nuntiationis in genere.  
Singularem verò Nuntiatio verbalis producit effectum,  
quòd



quòd nimirum eo ipso, dum quis illâ utitur, possessionem suam amittat nuntians, atque adversarium possidere confiteatur. *l. 1. §. 6. ff. de N. O. N.* per Prætorem quidem, & lapilli jactum qui nuntiat, retinet possessionem ejus loci, in quo fit opus, si quam habuit: Nudâ autem novi operis nuntiatione adversarium possessorem facit. *d. l. 1. §. 6. l. 5. §. 10. d. t.* Quænam verò ratio diversitatis sit, cur in prohibitionibus per Prætorem & lapilli jactum factis possessio conserveatur, eâ verò, quæ solo verbo fit, amittatur, non satis inter omnes constat? Sunt, qui hanc adferunt, quòd in hâc nuntians meticulousus quodammodo accedat, adeoque possessionem omnino deserere videatur. arg. *l. 7. ibi: quod vim majorem vereatur, amisisse possessionem videbitur. ff. d. A. A. P.* longè animosior contra illum, qui per jactum lapilli, seu manum, vel per Prætorem nuntiat. Verùm si hæc ratio aliquid concluderet, sequeretur, quòd & is, qui Prætorem adit, possessionem dicatur amisisse, quasi potentiam adversarii perterritus tribunal judicis accessisse videatur. Sed contrarium probat **J**Ctus *in. d. l. 5. §. 10. ff. de N. O. N.* Alii alios colores quærent, ut videre est apud *Zaf. lib. 1. sing. Resp. c. 8.* Caspar Schiffordgk. *lib. 2. ad Anton. Fabr. conject. tr. 7. quæst. 3.* solida autem ratio ex verbis *d. §. meminisse.* ibi: *quoties quis in nostro ædificare,* & ibi: *at in suo &c.* eruenda est. Nimirum, ut supra dictum, nuntiatio verbalis tunc locum habet, quoties quis in suo, sic tamen, ut mihi noceat, ædificat. Reliquæ vero nuntiationis species per Prætorem & lapilli jactum, sive manum, quoties quis in nostro ædificat, adhibentur. Si itaque in suo quis, ut mihi noceat, ædificat, quia adversus ædificatorem non nisi verbalis nuntiatio locum habet, non potest non adversarius, dum nuntiatione factâ, ad judicium provocatur, & petitorium quodammodo eligitur, effici possessor. Quicquid eâ de re sit, hanc differentiam inter prædictas nuntiationis species in Praxi parùm observari, nec



in decernendis Processibus attendi, tradit Petr. Frider. Min-  
dan. d. mand. *lib. 2. c. 30. n. 20.* quem sequitur Struv. *in h. s. n. 3.*  
XXXVII.

Contra-  
ria.  
Nuntiatio  
ab initio  
nulla.

Procedunt ea, quæ modò dicta sunt, quamdiu nuntiatio  
tenet. Nam vires quando nuntiatio habet nullas, tunc non  
obstante illâ, ædificans pergere in ædificando impunè potest.  
Nulla autem est nuntiatio vel ab initio, vel ex post  
facto vires suas amittit. Ab initio nuntiatio non tenet vel  
ex parte nuntiantis, vel ex personâ ejus, cui nuntiatur, vel  
si opus ita sit comparatum, quod nuntiationem nullam ad-  
mittit, vel si forma non fuerit observata, quo casu frustra re-  
missio petitur à nuntiante, cùm lex ipsa ejusmodi nuntiatio-  
nem remittat, & liberum ædificandi arbitrium concedat. De  
quo cùm supra aliquid dictum fuerit, plura addere superse-  
deo. Idem dicendum, si nuntiatio notoriè frivola sit, id est,  
sine justâ causâ facta. Quamvis enim, ut sup. dictum, nun-  
tiationis causam nuntians nuntiato reddere in ipsâ nuntia-  
tione non teneatur: Neque interfit quoad nuntiationis va-  
liditatem, jure ne, an injuriâ facta sit nuntiatio. *l. 1. pr. ff. de  
N. O. N.* quando tamen notoriè constat, nuntiationem fri-  
volè interpositam, & per calumniam, tunc ipsam quoque  
nuntiationem remittit lex, ita ut partium remissione opus  
non sit. Prætor enim hoc Edictum introduxit ad damnum  
avertendum, non ut calumniatoribus succurreret. Et melius  
est, intacta jura servare, quàm post vulneratam causam re-  
medium quærere. *l. f. C. in quib. caus. in int.* Carpz. *lib. 1. B. 7.  
num. 2.* Gail. *1. obs. 16. num. 4.*

## XXXVIII.

vel ex post  
facto resol-  
vitur  
1.  
Morte.

Ex post facto nuntiatio vires suas amittit, si vel per-  
sona domini fuerit mutata, vel nuntiatio remissa. Domini  
persona mutatur I. Nuntiantis morte. *l. 8. §. 6. ff. h. t.*  
Nuntiatio enim ex parte ejus, qui nuntiavit, personalis est,  
proin-



proindeque cum personâ extinguitur. *d. l. 8. §. 6.* modò sc. nuntians, re adhuc integrâ, decesserit. Nam si ante ejus mortem, post factam tamen nuntiationem aliquid factum sit, tunc nuntiator illius nuntiationis effectum transmittit ad heredes, interdictum sc. demolitorium, seu restitutorium. *l. 20. §. 6. ff. h. t.* si enim post nuntiationem ædificatum sit, superstitie nuntiante, est jam, quod ad heredes transeat, nimirum illud jus ex ædificantis facto quæsitum. Unde sæpissime contingit, ut ipsum quidem negotium morte finiatur, obligatio tamen & actio inde quæsitæ ad heredes transeat. Sic. v. c. mandatum solvitur quidem morte mandantis, obligatio verò inde nata aliquando durat. *l. 26. pr. ff. mandat.* quod si quis nuntiando dicat, nuntio pro me, heredibusque meis novum opus, num morte nuntiatio extinguitur. vid. Pichard. *d. l. num. 315.* Bach ad Treutl. *vol. 2. D. 18. th. 3. lit. a.* Tholosan. *lib. 4. cap. 31. n. 7.*

## XXXIX.

II. Domini persona mutatur Alienatione rei, cujus intuitu nuntiatio ita facta est. *l. 8. §. 6. h. t.* Cùm enim juris nostri conservandi gratiâ nuntiatio fiat, illud verò alienatione extinguitur, utpote quâ dominium, sive jus, quod in Re habemus, abdicamus à nobis, adeoque post illam nostrâ interesse desinat, quocirca alienatione factâ, ipsius jus nuntiantis extinguitur, adeoque nuntiatum pergere in ædificando potest. Hæc, quæ modò dicta sunt de alienatione, illa utique procedunt intuitu ipsius nuntiantis: Si enim nuntiatum post factam nuntiationem rem, in quâ ædificare cæpit, alienaverit, singularem illum successorem nuntiatio tenet, neque ante impetratam remissionem ipse impunè in opere pergere potest. *l. f. ff. de N. O. N.*

## XL.

III. Nuntiatio extinguitur Remissione, que vel privata, vel publica. Illa, quæ fit privatâ autoritate, pactis sc. &

2.  
Alienatio-  
ne.

3.  
Remissio-  
ne.



sc. & conventionibus illorum, quorum interest, si sc. inter ipsos placuerit, amplius ædificari. *l. 1. §. 10. ff. h. t. Bocer. cl. 4. d. 18. th. 105.* Remittere itaque nuntians nuntiationem factam potest, quodocumque illi placuerit. Quod enim ob privatam nuntiantis utilitatem est introductum, illud privatorum quoque pactioibus commodè remitti potest. *arg. l. pen. C. d. pact.* Molin. de Just. & Jur. *tr. 2. disp. 706. n. 34.* Et cum nuntiatio hoc plerumque modo fiat: denuntiatio, ne quid novi operis, me invito facias, sequitur, ut contrariâ voluntate nuntiatio expiret & remittatur. *d. l. 1. Mindan. d. Mand. lib. 2. cap. 31. num. 19. th. 5.* Publica remissio fit vel à lege, vel à Magistratu. A lege remittitur nuntiatio, si nuntiatum præstiterit satisfactionem de ædificio postea destruendo, si appareat, jus ædificandi ei non fuisse, eiq; tunc, ut ædificando pergat, indulgendum est, legis auctoritate remissa nuntiatione. *l. 5. §. 17. l. 8. §. 2. l. 20. §. si quis paratus. 5. ff. d. N. O. N.* Quo casu iudex pronuntiare solet: *Dass nunmehr der gethane Verbott wieder cassiert werde.* Carpz. *lib. 1. Tit. 1. R. 7. n. 6. Gail. observ. 16. n. 17.* Adeo quidem, ut iure fforum semper nuntiatio sit remittenda. Quod tamen iure Codicis limitatur, scilicet, ut non remittatur nuntiatio, nisi causa ita comparata sit, ut intra tres menses expediri non possit, alias enim nuntians cautionem accipere non tenetur. *l. un. C. de N. O. N.* Unde nuntians hoc iure post trium mensium lapsum cautionem accipere non tenetur. *d. l. un. & ibi Brunnem. Mindan. d. mand. lib. 2. cap. 31. th. 18. num. 26.* Molin. de Just. & Jur. *tract. 2. disp. 706. n. 45.* Judici itaque incumbit, ut intra trium mensium spatium omnem dirimat litem, quod si verò res non possit eo temporis spatio dirimi, tum demum cautione præstitâ de opere destruendo, ædificanti ulterius pergere liceat, atque adeo prohibitio remittatur.



Cæterùm ea, quæ de expectatione trium mensium dicta modò sunt, in Camerâ quoque Imperii observari, adeò, ut nuntians ante, satisfactionem oblatam acceptare non teneatur, testantur illius juris scriptores Gail. *1. observ. 16. n. 17.* ubi in causâ **Jacob Kellingers / contra Werner Wilebheer / & Consorten** ita judicatum refert Petr. Frider. Mindan. *d. mandat. lib. 2. cap. 31. n. 26.* Quoniam verò propter multitudinem causarum, nuntians in Camerâ intra prædictum tempus de jure suo vix docere poterit, quocirca sufficere, si articulos nuntiationis debito tempore exhibuerit, eosque ad probandum admitti petierit, scribit Gail. *d. l. Quidquid sit de Jure Camerali, dispositionem juris civilis non omnibus in locis hodie observari certissimum est.* Hinc non desunt magni nominis Jcti, qui illud totum, quando sc. cautio à nuntiante sit acceptanda, judicis arbitrio relinquunt. Quid enim, si res non amplius sit integra, sed periculum in morâ? grandeve damnum nuntiato ex morâ trium mensium immineret, puta quòd expensas jam multas fecisset in cæmentis & instrumentis ad ædificandum advehendis, vel si ex aspectu, aliâve causâ judex animadvertat, nuntiationem esse calumniosam? utique ante trium mensium lapsum cautionem esse admittendam, tradunt in terminis Carpz. *lib. 1. Tit. 1. Resp. 7.* ubi secundum hanc sententiam Electorem Saxonicum judicasse refert. Et eandem quoque Senatium **Pedemontanum** sequutum tradit Caspar. Anton. Tefs. *decis. 204. per tot.* Et Praxin hodiernam observare. Anton. Pichard. *d. l. cap. 8. num. 307. & seq.* Quæ sententia æquitatis ratione non destituitur. Scilicet post cautionem præstitam satis videtur consultum tum nuntianti, tum ei, cui nuntiatum est. Illi, quia cautum ei est de opere destruendo, si constet jus ædificandi non fuisse. Huic verò, quia molitio novi operis interim non suspenditur. confer *l. 5. §. 11. & 14. ff. de N. O. N.*



Accedit favor Reipublicæ, cujus interest, urbs ne ruinis de-  
formetur. *l. ult. ff. ne quid in loc. publ.*

## XLII.

Præterea à Magistratu remittitur nuntiatio variis ex  
causis & I. quidem, si constet nuntiantem jus prohibendi  
non habuisse. *l. 1. pr. ff. h. t.* post nuntiationem namque fa-  
ctam partes subjicere sese quodammodo censentur Præto-  
riæ Jurisdictioni *l. 1. §. 9. ff. d. N. O. N.* quod si itaque causæ  
cognitione præmissâ, & jure litigatorum inspecto nuntian-  
tem jus non habuisse prohibendi constitisset, remittit Præ-  
tor nuntiationem, & nuntiato jus ædificandi concedit. *l. 1. pr.  
ff. h. t.* quem text. Dd. comm. ita accipiunt. Struv. *ad w. h. t.  
th. 10.* Sunt quidem ex recentioribus nonnulli, qui in hâc re-  
missione, causæ cognitionem nullam desiderant: Verùm  
quo minus huic sententiæ accedam facit, quod Ulpianus  
Jctus in *l. un. §. 2. ff. de remis.* generaliter affirmat, quòd tunc  
demum remissioni locus sit, si nuntiatio non teneat. Itaque  
ad hoc, ut num teneret nuntiatio, nec ne constaret, causæ  
cognitione quâdam opus fuit. Hahn. *ad W. h. t. vers. ante-  
quam missa facta &c.* II. Remittitur à Prætoze nuntiatio,  
si nuntians juramentum calumniæ ei delatum præstare no-  
lit. *l. 5. §. 14. ff. h. t.* Licet enim adhuc de veritate juris nun-  
tiandi non constet, justatamen est suspicio, nuntiantem re-  
vera jus nuntiandi non habere, sed potius ex adverso nun-  
tium jus ædificandi, si nuntians hoc juramentum præsta-  
re recuset. Coll. Jur. Arg. *h. t. th. 15.* Boccr. *disput. 18. th. 98.  
& 106.* Hahn. *d. l.* Denique à Prætoze remittitur nuntia-  
tio, si Procuratorio nomine sit facta, isque Procurator satis-  
dationem præstare recuset. *l. 5. §. 18. l. 13. pr. ff. h. t.* Boccr.  
*d. disput. 18. th. 99. C. J. A. h. th. 15.*

## XLIII.

Cognata.

Ad Cognata referri potest jus destruendi privatâ au-  
toritate, ejus, quod in nostro ædificatum est. Quamvis  
enim



enim regulariter nemo sibi jus dicere. vid. l. 13. ff. quod  
 met. caus. l. 7. C. und. vi. sed quilibet id, quod sibi debetur,  
 competenti actione, coram iudice debeat prosequi. d. l. 13.  
 l. pen. ff. ad L. iul. d. vi privat. vid. Cothmann. vol. 2. R. 91.  
 num. 6. Sunt tamen casus, quibus ob necessitatem publi-  
 cam, & privatorum utilitatem, privatæ auctoritati aliquid à  
 legumlatoribus concedendum fuit. l. 3. ff. de Iust. & Iur. tor.  
 tit. C. quand. liceat unicuique sine jud. vid. Johan. Grate d. au-  
 thoritat. privat. Unde quod in meo ædificatum est, cum  
 meum efficiatur. §. 29. & 30. inst. de Rer. div. & cujus me adeo  
 moderatorem & arbitrum esse oportet. l. 21. C. mandat.  
 quocirca destruere id, quod inædificatum est, mihi ceu do-  
 mino licet. Quò pertinet l. 29. §. 1. ff. ad l. Aquil. vid. Bach.  
 ad Tr. vol. 2. disp. 18. th. 2. lit. G. Huc referri etiam non in-  
 commodè potest, actio confessoria & negatoria l. 2. ff. d.  
 N. O. N. l. 1. §. 7. l. 15. ff. eod. Mindan. d. Mandat. lib. 2. c. 30.  
 §. 5. Oldendorp. class. 3. art. 7. in fin. Casp. Klock. Tom. 3.  
 consil. 166. num. 36. & seqq. Similiter cum nuntiatione hæc  
 nostrâ cognationem quandam habere videtur interdictum,  
 quod vi aut clam. l. 1. §. 1. ff. d. N. O. N. l. 17. ff. eod. l. 72. ff.  
 de procurat. Judicium communi dividundo: l. 3. §. 1. ff. h. r.  
 Quæ remedia, ubi & quando locum habeant? consuli pos-  
 sunt Dd. passim. Mihi paucissima hæc de materia istâ in Pra-  
 xi utilissimâ ac frequentissimâ exhibuisse sufficiat, filum itaq;  
 abrumpo, & in ejus nomine, cujus hoc negotium  
 suscepi,

F I N I O.



*Clarissimo Dn. Candidato*

Johanni Friderico Romul,

*De*

NOVI OPERIS NUNTIATIONE,

*Pro*

LICENTIA

Consequendi Summos in Utroq; Jure Honores  
Disputanti.

**I**ngenuos mores, & candida pectora, Musæ  
Castalides tribuunt, Vir Celebrande, tibi.  
Doctorem accedent plausus laudesq;, virorum  
Cautâ ubi difficiles solveris arte strophos.  
Maeste animi! certâ, victor, celebrabere famâ,  
Teque suo excipiet patria leta sinu.


Ericus Mauritius D.  
& Prof. Publ.

---

**U**T, quo successu juris legumque bonarum  
Hactenus in studiis versatus, ROMULE, metas  
Candentem tangis, non infelicius illam,  
Quam mox committet Spartam Tibi patria posthac  
Exornare queas, cœli clementia præstet.

*Meliori in Clariss. Dn. Candidatum animo  
quam vena fundeb. Argentoratî*

Philippus Jacobus Spener, SS. Th. D.  
& Ecclesiastes.





X 2615924

7V 9A









*No. 11.*

GURALIS

ERIS

ONE, 1665, 6.

a Wercks/

*25*

*inis in per antiqua*  
DINA,

BARDILI,  
effore.

ORALIBUS  
ndis,

A,  
*amini*

IS ROMUL,

DC. LXX.

